

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Arborem scientiae boni et mali, protoplastis interdictam ex Gen. II,17

**Mayer, Johann Friedrich
Ziegra, Georg David**

Vitembergae, 1718

§. 22.

[urn:nbn:de:bsz:31-130464](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130464)

in Annot. Gen. 2. scriberet; Ex Adami lapsu genus humanum non corporis, sed anima mortem incurrisse, & fuisse homines morituros, etiam antequam peccassent. Consentit Stephanus Curcellæus Lib. de jure Dei cap. 11. p. 130. Garassus, Joh. Mercerus, aliiqve Pontifici & Anabaptistæ nonnulli, Arminiani, Novatoresqve Calixtin. quorum singula verba adducere, jam non vacat.

§. 21. Hi omnes docent, Mortem esse consequens naturale, non minus in hominum, quam in brutorum natura, propter quam causam etiam Adamum ante peccatum fuisse mortalem. Unde sequitur, quod homines in ipso integritatis statu morti subjecti & tandem actu ipso mortui fuissent, nisi per singularem & extraordinariam Dei gratiam a morte fuissent liberati. Quæ gratia quum per peccatum sit præcisa, hinc in Scripturis dici, mortem esse peccati poenam, vel per peccatum intrasse in Mundum. Observandum vero & hoc apprime est. Socinum cum sociennis per moriendi necessitatem non intelligere necessitatem naturalem dissolutionis Animæ & Corporis, quam ille mortalitatem appellat, atqve ita apud eum nihil interest inter mortalitatem & ipsam mortem naturalem, sed per moriendi necessitatem intelligit mortem æternam, quam Solum esse proprie peccati poenam contendit, id est, talem Animæ & Corporis separationem, quæ sit perpetua. Ab hac sententia non excludendi sunt *Semipelagiani*, seu *Scholastici* & *Pontificii*, Illi scriptitare non verentur, immortalitatem in homine primo ante lapsum donum fuisse supernaturale, non proprietatem naturalem, adeoque eum per & juxta naturam statuunt etiam mortalem. Videatur non solum *Peterius l. 5. in Gen. Disp. de tertia excell. hom.* & *Torniellus in Annal. f. 32.* sed & *Bellarminus l. c. cap. 9.* Et hoc ideo, ut tueantur eo commodius illud suum $\pi\rho\omega\tau\omicron\nu\ \psi\epsilon\upsilon\delta\omicron$, *Naturalia post lapsum mansisse integra.*

§. 23. Vera & orthodoxa nostra est sententia: Ante peccatum hominem morti non subjectum fuisse per naturam: sed immunem esse potuisse perpetuo a morte per conditricem gratiam, per quam accepit immortalem naturam, seu & possibilitatem non moriendi & impossibilitatem moriendi, per causam naturalem, quoad usque non deficeret a DEO per peccatum: atqve adeo immunitas hæc a morte non supernaturalis in sensu papistico: sed naturalis fuit (non quidem quatenus naturale vel accidentali, vel gratiæ ut sic opponitur, vel